Eckertz - De Durido Samio - 1842.

DE DURIDE SAMIO

IMPRIMIS DE EIUS IN REBUS TRADENDIS FIDE

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

LEGITIME IMPETRANDOS

UNA CUM ADIECTIS THESIBUS

DIE XII. M. AUGUSTI HORA X.

PUBLICE DEFENDET

GODOFREDUS ECKERTZ

SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN EADEM UNIVERSITATE SODALIS ORDINARIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSTINEBUNT:

FRID. THISQUEN, PHILOS. DR. RENUNTIAND.
HERM. LANGENSIEPEN, SEM. PHILOL. SOD. ORD.
CHRISTOPH. HAMMERSTEIN, THEOL. ET PHILOL. STUD.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXXII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRID. RITSCHELIO

SEMINARII REGII PHILOLOGICI DIRECTORI

PRAECEPTORI OPTIMO

HASCE LITTERARUM QUALESCUNQUE PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Quum Ritschelii auctoritate et auspiciis Duridis Samii fragmenta colligere, collecta illustrare instituissem essemque in eo iam, ut opus ad umbilicum adducerem: allatus mihi est ante has tres hebdomades Hullemanni liber, *Duridis quae supersunt*, inscriptus, tanta ille quidem diligentia ac doctrina, adhibitis tot subsidiis elaboratus, ut quae in Duridis vita et fragmentis illustrandis mea iam effecerat qualiscunque industria, eorum fere omnium laudem viderem praeoccupatam. Iam vero cum viro doctissimo ut consentio in capitibus plurimis, ita in fide Duridis diiudicanda adeo dissentio, ut ea in re exploranda minime mihi cum acri iudicio ac severitate esse versatus ille opinionemque de ea mirificam sane ac prorsus a veritate alienam imbibisse videatur. Nam quod fit saepenumero, ut quem quis sibi potissimum scriptorem tractandum proposuerit, eius ipse patrocinium quasi quoddam suscipiat, id nescio an dicam ipsi etiam Hullemanno accidisse, qui rerum scriptorem eum, quem Plutarchus disertis verbis dicit *οὐδ' ὅπου μηδὲν αὐτῷ πρόσεστιν ἴδιον πάθος εἰωθότα κρατεῖν τὴν διήγησιν ἐπὶ τῆς ἀληθείας*, ab omni macularum labe purgare studuit. Quem quidem de

fide locum quum antea minus plene et subtiliter enucleassem, per brevissimum hoc temporis spatium, quamvis et aliis occupatus negotiis, id mihi potissimum agendum proposui, ut quid tandem de fide Duridis posset certius explorari, inquirerem. Qua in re si non frustra me tempus et operam collocasse erunt qui iudicent, gratulabor mihi magnopere: si vero quid minus probatum fuerit, propter temporis, quo totus hicce libellus confectus est, brevitatem facile me ab aequis iudicibus veniam impetraturum confido.

Scripsi Bonnae die XV m. Iunii a. MDCCCXXXXII.

Quo magis in obscuro est scriptoris alicuius vita quoque pauciora relicta sunt librorum deperditorum fragmenta, eo enixius ab omni parte quaecunque exstant pervestiganda sunt, si quid inde, ne in solis veterum scriptorum iudiciis cogamur acquiescere, ad fidem eius diiudicandam possit erui. Atque hac quidem in re quae singula Duridis fidem fragmenta videantur evertere ac labefactare, ea Hullemannus, non quidem interpretatus est contortius atque artificiosius, sed ad fidem Duridis constituendam quid sit inde necessario consequens, aut non vidit, aut si vidit, pronuntiare noluit. Itaque primum ex ipsis fragmentis quaerendum iam est, num Duridi ad vere scribendum, ut Hullemanni rationem sequamur, nec voluntas defuerit nec facultas.

Athenaeus IV. pag. 184. D. Hullem. fragment. LXXII. habet haec: *Δοῦρις δ' ἐν τῷ περὶ Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους Ἀλκιβιάδην φησὶ μαθεῖν τὴν αὐλητικὴν οὐ παρὰ τοῦ τυχόντος, ἀλλὰ Προνόμου τοῦ μεγίστην ἐσχηκότος δόξαν.* Et ita quidem Duris. Atqui gravissimis testimoniis constat, Alcibiadem tibias cum ad os admovisset inflassetque pudefactum oris deformitate abiecisse idque exemplum nobiles Atheniensium pueros secutos tibiis canere desiisse. Cuius rei primus iam et princeps exstitit testis Plato, Alcibiadis aequalis, Alcib. I. 106: *ἔμαθες γὰρ δὴ σύ γε κιθαρίζειν καὶ παλαίειν· οὐ γὰρ δὴ αὐλεῖν γε ἤθελες μαθεῖν.* Quam candem de Alcibiade tibias repudiante narrationem Plutarchus Alcib. II. uberrime et ita quidem exponit, ut varias de illa re circumferri opiniones ne verbo quidem significet,; conf. Suid. v. *Ἀράβιον ἄρ' ἐγώ* tom I. p. 307. Gell. N. A. XV. 17. Quum autem inde ab Alcibiadis maxime aetate tibiarum cantus inceperit iacere

quumque illa narratio sit eiusmodi, quae non facile confingatur, quaeque praeclare Alcibiadis ingenio conveniat, de veritate eius dubitare non licet. At Athenaei verba ita fortasse acceperit aliquis, ut attrectasse certe, licet mox repudiarit, Alcibiadem dicat tibias, ita ut eum didicisse tibiis canere quoddammodo possit explicari. Perperam; si enim illo modo Duris voluisset verba sua explicari, quum per se spectata Alcibiadem indicarent tibiis multam impendisse diligentiam, plura, ut veram suam sententiam argueret, erant addenda. Quum vero Athenaeus, quamquam totam Duridis orationem legisse putandus est, tamen id agens, ut tibiarum cantum apud Graecos in deliciis fuisse exemplis comprobet, Alcibiadis afferat exemplum, ita profecto Duridis verba accipienda sunt, ut Alcibiadem celeberrimo usum duce tibiarum cantui insignem navasse operam intelligamus. De Duride iam, qui quum suam se originem ex Alcibiade traxisse glorietur, praecipuam in rebus eius explorandis operam consumsisse putandus est, quid erit statuendum? Nihil scilicet aliud, nisi eum aut novum aliquid afferre voluisse aut noluisse ei, qui omni fere laudis genere esset cumulatus, tibiis canendi laudem detrahi. Quae res quamquam per se levissima non iccirco minorem vim habet ad Duridis fidem examinandam. Alio etiam exemplo, exornatum esse a Duride proavum, infra probabimus.

Suidas Tom. I. p. 908 conf. Hullem. fragm. XL haec habet: *Εὐρύβατος, πονηρός· ἀπὸ τοῦ πεμφθέντος ὑπὸ Κροίσου ἐπὶ ξενολογίαν μετὰ χρημάτων, ὥς φησιν Ἔφορος, εἶτα μεταβαλλομένου πρὸς Κῦρον. Δοῦρις δὲ ἐν δ' τῶν περὶ Ἀγαθοκλέα ἀπὸ τοῦ Ὀδυσσέως ἑταίρου.*

Proverbium autem, in quo *Εὐρύβατος* nomen in *πονηροῦ* vim abiit, sat notum est; id originem duxisse ab Eurybato videtur existimandum, Croesi legato, quem scimus tam sordido fuisse animo, ut, quum a rege ad exercitum comparandum magnas accepisset pecunias, transfugeret ad Cyrum hostem eique Croesi consilia cuncta denuntiaret. Ephori

enim testimonium admodum firmatur Diodori auctoritate, sine ulla variarum opinionum significatione idem tradentis. Praeter Diodorum cum Ephoro consentiunt Harpocratio, Suidas, Apostolius, alii, conf. Meier Marx Ephori fragm. p. 207. Quamquam fuerunt etiam, qui Eurybatum Oechaliensem verbo εὐρυβατεύεσθαι originem dedisse crederent. Quid iam iudicemus de Duride, proverbii originem ab Eurybate, Ulixis socio repetente? Nimirum est ea in re non solum propterea accusandus, quod ceterorum scriptorum auctoritatem temere neglexit, sed eam maxime ob causam, quod novum aliquid substituit, quo vix perversius quicquam potuerit fingi. Qui si vel fugitivo percurrisset locos apud Homerum de Eurybate obvios, minime cadere in Ulixis socium illam πονηρίαν, immo contrarium potius in eum convenire intellexisset. Itaque Duridem neglecta gravissimorum scriptorum auctoritate quidquid in mentem venit, quadraret necne non curantem arreptum pro vero venditasse videmus. Quod non defuit qui etiam ad unum ex fabulosis illis Cercopibus referret proverbii originem, non excusat Duridem: conf. Erasm. Adag. p. 308.

Diogenes Laert. qui saepius sua e Duride hausit II. 5. 19. haec exhibet Duridis de Socrate verba: Δοῦρις δὲ καὶ δουλεῦσαι αὐτὸν (Σωκράτη) καὶ ἐργάσασθαι λίθους (φησίν.) De quo loco priusquam exponam, de philosophis peripateticis, quorum e numero ipse Duris est, nonnihil videtur praemittendum. Uti Platoni cum Aristotele propter placitorum diversitatem nonnulla intercedebat simultas, ita fuere inter utriusque philosophi discipulos, qui maiore etiam ardore et impetu invicem sese carperent; indidem etiam factum est, ut complures philosophi, e schola Aristotelis profecti, de Socrate parum benigne sentirent, neque illius vitam, mores, dicta dubitarent turpiter calumniari. Huc eodem pertinet de Socratis διγαμίᾳ fabula, quam omnino a Satyro et Hieronymo Rhodio fictam esse docuit nos Luzacii diligentia in libro de διγαμίᾳ Socratis nimis fuse scripto. Reperimus autem inter Socratis calumniatores praeter Hieronymum Rhodium et Satyrum

etiam Durim, qui ut Luzacii verbis utar, Socratem (atque id omnino novum et prioribus indictum) tam sordida etiam et humili nascendi conditione usum esse dicit, ut ne civis quidem Atticus fuerit, servus quippe, non liber. Eundem Duridem in Platonem quoque invectum esse Proclus ad Plat. Tim. I. p. 28 med. nobis testatur, conf. Hullem. p. 176.: *μάτην οὖν φληναφοῦσι Καλλίμαχος καὶ Δοῦρις, ὡς Πλάτωνος οὐκ ὄντος ἱκανὸν κρίνειν ποιητάς.* Ad idem calumniarum genus pertinet quod nobis tradidit Photius Duridis de Theopompo et Ephoro iniquum iudicium. Scripsit enim Duris in primo historiarum libro haec: Ephorus et Theopompus a superioribus longo relinquuntur intervallo; imitationis enim gratia destituuntur carentque dicendi venustate, *de scribendo tantum solliciti.* Qua Duridis iniquitate offensus Photius, vir acri iudicio omnique doctrina praestantissimus addit: etsi Duris ipse in eadem illa dispositione longe post hos, quos carpit, viros intervallo relinquitur. Eam igitur, quae decet rerum scriptorem, animi aequitatem et moderationem videmus Duridi defuisse, qua solius veritatis studiosus mittit privatas inimicitias; imo eo ille cupiditatis et ardoris processit, ut Socratem ipsum, quem supplicio affecisse totum Atheniensium populum poenitebat, per integrum saeculum iam mortuum foede calumniaretur. Quae quidem cupiditas, qua extra veritatis limites, imo ad turpem malignitatem Duris abripi se patitur, iustam nobis de fide movet dubitationem, praesertim cum eius maxime, qua ipse Sami tyrannus vixit, aetatis historiam sit persecutus.

Apud Suidam tom. III. p. 22. conf. Hullem. fragm. LVIII. leguntur haec: *Πανύασις, Πολυάρχου, Ἁλικαρνασσεύς, τερατοσκόπος καὶ ποιητὴς ἐπῶν· ὃς σβεσθεῖσαν τὴν ποιητικὴν ἐπανήγαγε. Δοῦρις δὲ Διοκλέους τε παῖδα ἀνέγραψε καὶ Σάμιον· ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτος Θούριον.* Polyarchi vero filium fuisse et patriam habuisse Halicarnassum Panyasim consensu gravissimorum auctorum constat. Quapropter nihil restat, nisi ut aut errorem a Duride commissum aut alium

Panyasim significatum esse statuamus. Quae cum recte disputabat Tschirnerus, (Panyasidis Halicarnassei Heracleadis fragmenta. Vratislaviae MDCCCXXXXII), de errore cogitari non posse putabat propterea quod Duris, qui cum ipse esset Samius et de Panyaside haud dubie in Samiorum Annalibus scriberet, quid verum esset, reliquis scriptoribus facilius invenire posset, errori nullo modo fuisset obnoxius. Primum autem incuriae accusandus est Tschirnerus, quod in unius Ciceronis de Duride iudicio subsistens, Plutarchi aliorumque auctoritate prorsus neglecta, illum tam gravem putat auctorem, ut de errore cogitari omnino nequeat. Itaque Duridis testimonium contorto et quod iusto fundamento prorsus caret artificio ab omni commenti suspicione tueri studuit. Confudisse enim Suidam, qui alius etiam Panyasidis mentionem facit (*Πανύασις, Ἁλικαρνασσεύς, νεώτερος, φιλόσοφος, περὶ ὀνείρων βιβλία β'*), duorum horum Panyasidum nomina putat, ita ut, cum Panyasidis mentionem a Duride factam legeret, de Panyaside poeta et Halicarnasseo sermonem esse crederet. Sed quum et ipse Suidas et Artemidorus, qui etiam philosophum tradant fuisse Halicarnasseum, exsistant contra Duridem testes, ita se e difficultate subduxit, ut qui ortu fuisset Halicarnasseus eundem propter habitationem etiam Samium potuisse vocari disputaret. Sed licet Suidas saepius eiusdem nominis scriptores confuderit, tamen hic de permutatione nemo facile cogitaverit, quum optime a Suida distinctum esse utrumque Panyasim, e disertis illius verbis appareat: *Πανύασις, νεώτερος, φιλόσοφος*. At istam permutationem reapse esse a Suida factam, ex verbo, quod adiecit ad Panyasidis poetae nomen, apparet, *τερατοσκόπος* (prodigiorum speculator atque interpres), quod quidem attributum magis videtur in philosophi naturam convenire, qui idem duos de somniis libros scripsisse traditur. Sed quoniam non possumus nobis persuadere, Suidam, qui duos esse Panyasides inter se distinguendos nos ipse edoceat, quorum alter et aetate maior et poeta, alter et minor aetate et philosophus,

personas incredibili temeritate et incuria permutasse, nihil iam aliud restat, quam ut Panyasim eum qui aetate maior erat, τερατοσκόπον fuisse existimemus. Cui opinioni, quod obstet, nihil est; deinde ex altera parte illico statuere non licet, philosophum eum, qui ad philosophicae disciplinae rationem conscribit de somniis libros, propter eam ipsam de somniis commentationem esse τερατοσκόπον, quippe quod hominum genus munere quodam sacro et publico fungi solitum sit. Quod ad ea attinet, quae subsequuntur apud Suidam, ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτος Θούριον, P. Wesselingius in dissert. Herod. p. 9 scribendum coniecit: ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον Θούριον, ita ut idem Duris Herodotum Thurinum fuisse affirmaverit. Cuius coniecturae patrocinium Heysius suscepit his verbis: quomodo in his plane diversis voce ὁμοίως καὶ uti potuerit Suidas? Et quis unquam Thurios patriam Panyasi tribuit? contra Herodotus saepissime Thurinus audit. Itaque ne longus sim in re satis expedita dubium esse non potest, quin dicere voluerit Suidas: Duris quidem Panyasim Samium facit, ut simili ratione etiam Herodotus Thurinus fertur. Legendum igitur aut ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον Θούριον sc. ἀνέγραψε aut Ἡρόδοτος Θούριος καλεῖται, quarum prior ratio praestare videtur. Infirmat Suidas Duridis Panyasim Samium ferentis auctoritatem ostendendo eandem etiam de Herodoti patria minus accurate tradidisse. Haec Heysius. Sane prior ratio, qua ἀνέγραψε mente additur, praeferenda est, quum si alteram amplectaris rationem, nullus cum iis quae praecedunt nexus appareat. Quod autem ex ὁμοίως vocabulo Heysius argumentum petiit, id nullum esse recte perspexit Tschirnerus. Quid tandem hoc potest esse simplicius: simili ratione etiam Herodotus scilicet a vero aberrans sive novum aliquid expromens Panyasim nuncupat Thurinum? Quod vero Heysius dicit, Herodotum saepius appellari Thurinum, eiusmodi est, ex quo magnam accipiat coniectura illa probabilitatem. Iam vero difficultates, quas a censoribus (Goett. 1839. p. 1278) relictas esse Tschirnerus dicit, ita

fortasse tolluntur: δὲ particula post ὁμοίως inserta ita videtur expediri, ut sententiam aliquam Suidae mente conceptam fuisse dicamus, velut: non hoc unicum est testimonium a ceterorum auctorum fide absonum, nihil est novi, non est, cur miremur, sed simili ratione etiam Herodotum Duris nuncupat Thurinum. Quod Tschirnerus coniicit δὲ particulam transpositione aliqua facta alienum locum obtinere, eam transpositionem fieri potuisse, nemo nimirum potest negare, sed eorum, quae fieri potuerint, nullus omnino est finis constitutus. Eam vero opinionem, qua Duridi nullam Herodoti memorandi opportunitatem praeberi credit, illico missam fecerit Tschirnerus, si meminerit, esse Duridem πολυίστορα, qui et musica et grammatica et etymologica et poetica et mythologica historiis suis immiscere solet; quidni igitur ea quoque attigerit, quae ad litterarum historiam, valde ipsi acceptam, pertineant? Nonne Theopompi etiam et Ephori Photio teste in Macedonicis historiis uberiorem fecit mentionem? Itaque cum Schneidewino et Ecksteinio acquiescendum puto in Wesselingii coniectura. — Quid autem ex iis rebus in Duridis fidem est consectarium? Hoc mea sententia efficitur, ut Panyasim patriae tam insignis poetae ortu exornandae causa Duris (qua erat rerum Samiarum exaggerandarum cupiditate) praedicaverit Samium; nam si quis dixerit, propter habitationem etiam Samium potuisse Panyasim nominari, fieri id quidem potuisse non negamus, sed tam longe a more consuetudineque duplex illa nominandi ratio aliena fuit, ut perrara eius reperiantur exempla; nimiam insuper Suidae tribueremus incuriam, si eum, in qua urbe Panyasis esset natus, indicantem, alienam illam Duridis discrepantiam memorasse putaremus. Deinde quoniam Wesselingii coniectura magnam habet veritatis speciem, perstrinxisse Duridem Suidas putandus est; quae vituperatio non omni vi videtur carere, si non sua fortasse, sed aliorum virorum, quorum libros inspicere nobis non iam licet, auctoritate fretum sublestae fidei Duridem esse virum Suidam significasse reputaveris; id quod eo fit probabilius,

quod omnia fere, quae Suidas Duridis testimonia affert, commentum redolent. Similiter Photius lexicographus Duridi disertis verbis commentum exprobrat, non suam haud dubie unius auctoritatem secutus: conf. Hullem. p. 160. *τὸ δὲ πλάσμα Δούριδος*, quae verba, quo spectent, difficile est dictu. De perversa quidem Aristophanis verborum *Σαμίων ὁ δῆμος ὡς πολυγράμματος* explicatione ea esse intelliganda, Hullemanno putanti adstipulari equidem non possum, et quia is, qui perperam alicuius verba intelligit, *πλάσματος* quidem non videtur accusandus, et propterea quod nimia aliarum rerum copia interposita est. Totam autem fortasse de noctua et samaena frontibus inussa narrationem graviorum scriptorum secutus auctoritatem Photius dicit a Duride esse confictam.

Harpocrat. p. 34 v. *Ἀσπασία*, conf. Hullem. fragm. LX: *δοκεῖ δὲ δυοῖν πολέμων αἰτία γεγονέναι, τοῦ τε Σαμιακοῦ καὶ τοῦ Πελοποννησιακοῦ, ὡς ἔστι μαθεῖν παρά τε Δούριδος τοῦ Σαμίου καὶ Θεοφράστου ἐκ τοῦ τετάρτου τῶν πολιτικῶν καὶ ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους Ἀχαρνέων.* Quae Harpocrationis verba videntur ita esse accipienda, ut *τοῦ τε Σαμιακοῦ* ad *παρά τε Δούριδος*, ad *καὶ τοῦ Θεοφράστου* autem *τοῦ Πελοποννησιακοῦ* verba spectent, quanquam nihil in eiusmodi re certi potest elici. Quaerenti autem, num sint vera, quae a Duride de Pericle traduntur, reputandum est, neque apud Thucydidem gravissimum rerum sua ipsius aetate gestarum existimatorem, neque apud Diodorum ullum reperiri illorum vestigium. Iam vero lubet afferre Trompii *) verba, qui egregie de ea re disputavit: „Plutarcho Pericli belli Samii movendi causae fuisse videntur privatae, quasi scilicet eo adductus esset Aspasiae, Mileto oriundae sibique devinctae precibus. Sed ita haec fabula scenam redolet, ut non dubitem, quin ibi nata sit. Imo videns hoc ipso tempore Ol. 85. 1. quo bel-

*) Disputatio historico-litteraria de Pericle eiusque reipublicae Atheniensium administratione scripsit Solko Walke Tromp. Lugd. Batav. 1837.

lum adversus Samios gestum est, psephismate prohibitum esse τὸ κωμῳδεῖν nec verisimile iudicans hanc legem sine Periclis auctoritate aut invito eo latam esse, prope absum, ut suspicer Cratini aliusve poetae comici in Aspasiam, tanquam belli auctorem, impetum psephismate ansam dedisse idque provocasse. Quaecunque vero rumoris origo sit, vehementer equidem miror, quod recentiores pedibus in Plutarchi sententiam ierint. Nam ne dicam eiusmodi causas non solere vulgo innotescere, Pericles non sua auctoritate bellum suscepit, sed decretum hoc est ab universo populo Plut. Pericl. 24. 25., quem adeo viri verbis audientem fuisse adeoque bella appetivisse, ut illi haec suadenti obtemperaret, etiamsi consilii auctorem esse constaret feminam peregrinam, quae praeterea alias sedes patriae praetulerat, admodum dubito." Si autem Duris uti Thucydides fecit animo reputasset, nihil fere a comicis non dictum esse, quod spectatorum aures aliquo modo posset delectare, Aristophani fidem denegasset; sed odio potius Atheniensium eum puto adductum esse, ut Aristophani adiiceret calculum, id quod inde fit admodum probabile, quod alias etiam, quas inferius allaturus sum, ad Periclis famam contaminandam finxit contumelias.

Apud Diogenem Laertium lib. I, 89 habes haec: Κλεόβουλος, Εὐαγόρου, Λίνδιος, ὡς δὲ Δοῦρις, Κάρ·, quod ex Κάριος verbo corruptum esse admodum verisimile est. Lindium autem fuisse Cleobulum et ex Diogene Laertio et ex aliorum scriptorum testimoniis constat; primum enim carminis apud Diogenem Laertium servati auctor appellat eum Lindium: Λίνδου ναέταν Κλεόβουλον. Nec non appellatur Lindius in epigrammate de laudibus Cleobuli composito, quod nobiscum communicavit Diogenes paulo inferius. In litteris etiam, quas ad Solonem eum dedisse nobis auctor est idem Diogenes, licet sint spuriae eiusque claro nomini suppositae, semet ipse nominat Lindium. Similiter Suidas denique scribit: Κλεόβουλος, Εὐαγόρου, Λίνδιος. Itaque hac quoque in re Duridi nulla est fides habenda.

Idem Diogenes L. 1, 5. 82. conf. Hullem. fragm. LII. Duridis de Biante testimonium affert: *Βίας, Τευτάμου, Πριηνεύς. τοῦτον οἱ μὲν πλούσιον, Δοῦρις δὲ πάροικόν φησι γεγονέναι.* Menagius pro *πάροικον* corrigit *προικόν*, ita ut, quam nemo non desiderat, oppositio inter *πλούσιον* et *προικόν* efficiatur. Licet autem rarior sit usus *προικός* verbi, tamen quum et proxime ad codicum vestigia accedat Menagii coniectura et oppositionem efficiat praeclaram, prorsus facio cum viro docto. Quod autem Hullemannus dicit, de rebus domesticis Duridem eorum, de quibus exposuit, virorum constanter siluisse, id unde compertum habeat, me fugit, quia et res est propter fragmentorum penuriam incomperta, et contrarium quiddam colligi praeter Pherecydem et Pythagoram potest e Socratis exemplo, quem dicit *δουλεῦσαι καὶ λίθους ἐργάσασθαι.* Mendicum vero Biantem non fuisse, ex vita eius uberius conscripta nobisque servata didiceris, neque fuisse *πάροικον* ipse fatetur Hullemannus.

Athenaeus XII. p. 542 B—E. conf. Hullem. fragm. XXVIII. uberius nobis Duridis de Demetrio Phalereo servavit fragmentum: *Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεύς, ὥς φησι Δοῦρις ἐν τῇ ἑκκαιδεκάτῃ τῶν ἱςοριῶν, χιλίων καὶ διακοσίων ταλάντων κατ' ἐνιαυτὸν κύριος γενόμενος, καὶ ἀπὸ τούτων βραχέα δαπανῶν εἰς τοὺς στρατιώτας καὶ τὴν τῆς πόλεως διοίκησιν, τὰ λοιπὰ πάντα διὰ τὴν ἔμφυτον ἀκρασίαν ἠφάνιζε, θοίνας τε καθ' ἑκάστην ἡμέραν λαμπρὰς ἐπιτελῶν, καὶ πλῆθός τι συνδείπνων ἔχων· καὶ ταῖς μὲν δαπάναις ταῖς εἰς τὰ δεῖπνα τοὺς Μακεδόνας ὑπερέβαλε, τῇ δὲ καθαριότητι Κυπρίους καὶ Φοίνικας· ῥάσματα τε μύρων ἔπιπτεν ἐπὶ τὴν γῆν, ἀνθινά τε πολλὰ τῶν ἐδαφῶν ἐν τοῖς ἀνδρῶσι κατεσκευάζετο, διαπεποικιλμένα ὑπὸ δημιουργῶν. Ἦσαν δὲ καὶ πρὸς γυναῖκας ὁμιλίαι σιωπώμεναι, καὶ νεανίσκων ἔρωτες νυκτερινοί· καὶ ὁ τοῖς ἄλλοις τιθέμενος θεσμοὺς Δημήτριος καὶ τοὺς βίους τάττων ἀνομοθέτητον ἑαυτῷ τὸν βίον κατεσκεύαζεν. Ἐπεμελεῖτο δὲ καὶ τῆς ὄψεως, τήν τε τρίχα τὴν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ξανθιζόμενος, καὶ παιδέρωτι τὸ πρόσωπον ὑπαλειφόμενος, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀλεύμ-*

μασιν ἐγχρίων ἑαυτόν· ἠβούλετο γὰρ τὴν ὄψιν ἱλαρὸς καὶ τοῖς ἀπαντοῦσιν ἡδὺς φαίνεσθαι. Ἐν δὲ τῇ πομπῇ τῶν Διονυσίων, ἣν ἔπεμψεν ἄρχων γενόμενος, ᾖδε χορὸς εἰς αὐτὸν ποιήματα Σειρώμενος τοῦ Σολέως, ἐν οἷς ἡλιόμορφος προσηγορεύετο.

Diogenes Laertius vero V. 75., qui ex Favorino, Demetrio Magnesio, Didymo, Hermippo sua petiit quique Duridem etiam inspexisse putandus est, plane contrarium ei, quod nobis tradidit Duris, de Demetrii Phalerei administratione docet: *πολλὰ δὲ καὶ κάλλιστα τῇ πατρίδι ἐπολιτεύσατο· καὶ γὰρ προσόδοις καὶ κατασκευαῖς ηὔξησε τὴν πόλιν.* **Tum Polybius XIII. 13. ea affert, quae Demochares, Demetrii adversarius** *ἐν ταῖς ἱςορίαις* **de eius administratione scripsit:** *ἐπὶ γὰρ τῷ πολλὰ καὶ λυσιτελῶς πωλεῖσθαι κατὰ τὴν πόλιν καὶ δαψιλῆ καὶ πρὸς τὸν βίον ὑπάρχειν πᾶσιν, ἐπὶ τούτοις φησὶ μεγαλαυχεῖν αὐτὸν κ. τ. λ.*, **quae laus a Demetrii adversario profecta magnopere pugnat cum Duridis vituperatione, qua omnes reditus urbis administratione et exercitus salute neglecta et posthabita eum ipsum immensa lascivia luxuriaque consumsisse dicit; tam vero faustam illam rerum conditionem non sine principis sudore, non sine grandis pecuniae ope posse effici, neminem fugit. Tertium deinde accedit Ciceronis testimonium de rep. II, 1., qui quum praestare dicit Romanorum civitatem ceteris, quod in illis singuli fuerint fere, qui suam quisque rem publicam constituerint legibus atque institutis suis, Minoibus, Lycurgis, Theseis, Draconibus, Solonibus, Clisthenibus accenset Demetrium Phalereum, quem exsanguem iam et iacentem rempublicam sustentavisse dicit. Accedit quartus testis Aelianus idem fere confirmans lib. III. c. 17.** *Δημήτριος δὲ Φαληρεὺς καὶ Ἀθήνησι ἐπιφανέστατα ἐπολιτεύσατο ἔστ' ἂν αὐτὸν ὁ συνήθης Ἀθηναίοις φθόνος ἐξέωσε.* **Diodorus Siculus denique XVIII. 74 ita scribit:** *Δημήτριος Φαληρεὺς παραλαβὼν τὴν ἐπιμέλειαν τῆς πόλεως ἦρχεν εἰρηνικῶς καὶ πρὸς τοὺς πολίτας φιλανθρώπως.* **Quapropter nullo modo possumus fidem habere Duridi tradenti, abdomen ebrium**

Demetrium fuisse, ventri gulaeque tam obedientem, ut exiguam tantum redituum partem in militum stipendia et in civitatis impenderit administrationem, sed mille et ducenta talenta, quae quotannis ei redirent, pro insita sibi intemperantia profuderit. Neque magis ut istis testimoniis diffidamus, Carystius nos potest adducere, qui idem fere quod Duris narrat, vir incertae aetatis et fidei, qui ut ex iis certe, quae apud Athenaeum exstant fragmentis cernitur, in levissimis rebus conscribendis operam suam consumsit. Schlosserus etiam, quamquam nimium Duridi et Carystio tribuit, de illius tamen testimonio hoc profitetur: „Die Nachrichten und die Ansicht, welche der Samier Duris von diesem berühmten Athener giebt, den er gern herabsetzt, lassen sich freilich bezweifeln.“ Quae Duridis in Demetrium malevolentia unde nata sit, possumus fortasse coniectura assequi. Atque stomachatum esse Duridem Atheniensibus et vidimus et videbimus; postquam vero Atheniensium civitas Demetrii dominationi est subiecta, conversum iam esse in Demetrium istud odium eo facilius suspicatus fueris, quod hunc quum librorum multitudine ac versuum numero omnes fere sui temporis Peripateticos superaret omniumque esset doctissimus et peritissimus, facillime consentaneum est movisse Duridis invidiam. Porro Lynceus, Duridis frater certamine cum Menandro, celeberrimo illo comoediarum scriptore, inito victor prodiit (Athen. VIII. p. 338. D.); qua victoria offensum Menandrum facetiis argutiisque scatentem minime pepercisse Lynceo, misello isti γαστρολόγῳ, sed sale suo eum perstrinxisse facile conieceris, ita ut simultas inter Lynceum Duridemque fratrem et Menandrum necessario intercederet. Atqui Menander arctissimo amicitiae vinculo cum Demetrio Phalereo coniunctus erat; quid igitur iam facilius potuit fieri, quam ut Duris et Lynceus irascerentur Menandro eiusque patrono Demetrio. Quod postea Athenienses imperium Demetrii accusarunt iniustitiae, quis nescit inimicos, quos plurimos eum habuisse vel ex illis Aeliani verbis discimus, magis etiam saevire in re-

gem regno expulsum? Ita Cicero lib. V. de finib. eum iniuria dicit e patria pulsum esse: princeps, inquit, huius civitatis Phalereus Demetrius cum patria pulsus esset iniuria, ad Ptolemaeum se regem contulit. De ceteris, quas Duris in Demetrium confert, ignominiis nihil dicam, quum de vita eius libidinosa neque alii, certe non omnino, taceant. Scribit enim Diogenes V. 76.: *συνῴκει Λαμίᾳ τῇ ἐρωμένῃ*, quamquam is, de quo agitur, Demetrius cum Poliorceta, quem vehementer Lamiae amori indulsisse Plutarchus testatur, facile poterat confundi. Animum certe Demetrii Phalerei ab honesti pulcrique sensu minime abhorruisse ex sententiis, quas ab illo prolatas servavit nobis Diogenes, intelligitur: nam cum vidisset aliquando iuvenem luxuriosum, ecce, inquit, Mercurii quadrata statua, habens syrma, ventrem, pudenda, barbam. Iuvenes dicebat oportere domi quidem parentes, in itineribus autem obvios, in solitudine se ipsos revereri. Conf. Hermippi fragm. ed. Lozynski p. 90., ubi omnes, qui de Demetrio Phalereo exposuerunt, laudantur. Doleo autem magnopere, quod mihi copia data non erat commentationis inspiciendae, quam de Demetrio Phalereo audio scripsisse Dohrnium.

Schol. Apoll. Rh. IV. 264.: *Δοῦρις ἐν πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ τῶν Μακεδονικῶν· Ἀρκάδα φησίν, ἀφ' οὗ ἡ Ἀρκαδία καλεῖται, Ὀρχομένου υἱόν· διὸ καὶ πόλιν τῆς Ἀρκαδίας Ὀρχομενόν.* Orchomeni vero filium non fuisse Arcadem sed ex Callisto filia Lyçaonis Arcadiae regis et ipso Iove natum consentiunt ceteri scriptores, quos repereris laudatos apud Hullemannum.

Schol. Plat. Hipp. Maior. p. 293. A. conf. Hullem. fragm. LXXIV.: *Δοῦρις δέ φησιν, ὅτι αὐτὴ τὴν πυρὰν τοῦ πατρὸς κατέσβεσεν· καὶ ἐξ ἐκείνου παρὰ Μακεδόσι νενόμισται τὰς θυγατέρας τῶν κηδευομένων, οἷς ἂν ὦσι παῖδες, τὸ αὐτὸ πράττειν ἐπὶ τοῖς πατράσιν.* Quae de Macariae facinore fabula quum, quamquam admodum poetico usui arridet, tamen non sit a Sophocle, Euripide, Seneca in fabulis ad Herculem spectantibus recepta, neque Appollodorus, qui uberrimam nobis exhibet Herculis vitae descriptionem, neque alii ullam

eius faciant mentionem, magnopere dubito, num unquam apud Graecos fuerit, sed fictam eam omnino a Duride esse eo magis adducor ut credam, quod nunquam memoratur ille Macedonum mos legibus sancitus, qui ut nunquam apud scriptores tangeretur, vix potuit fieri. Alios Duridis errores, quibus nec alii scriptores vacant, mitto; quamquam horum ii, qui aliqua nominis fama inclaruerunt, non ex erroribus, sed ex virtutibus vitia superantibus suam quisque gloriam repetiisse putandi sunt.

Postquam singula aliquot Duridis fragmenta ad fidem eius indagandam in censum vocavimus, ad totam eius historiarum scribendarum rationem, quippe quae non minorem ad fidem eius diiudicandam habeat vim, transeamus. Qui locus cum alia quaestione, de iis quae scholae Peripateticorum fuerint propria, tam arcte nexus copulatusque est, ut ab ea seiungi nequeat. De Peripateticorum autem ingenio et indole uberius expositum est in Luzacii libro de *διγαμίᾳ* Socratis scripto et in Heynii de Genio Saeculi Ptolemaeorum commentatione. Primum autem offendimus propriam scholae peripateticae *πολυιστορίαν* sive *πολυμάθειαν*. Aristotelis autem, Peripateticorum principis, qui divino suo ingenio totum omnium disciplinarum orbem complectebatur, exemplum secuti sunt discipuli, mala sane usi fortuna, cum cuius aemulabantur varietatem doctrinae, eum non item ingenii viribus aequarent. Itaque si quis eximio ad unam alteramve disciplinam excolendam ingenio valebat, viribus *πολυμαθείᾳ* divulsis obtusisque, misera contentus mediocritate, ad memorabilem quandam praestantiam non assurrexit. Nemo autem Peripateticorum, qui quidem aliquam nominis sui famam sit consecutus, reperitur, quin in omni litterarum genere, philosophia, historia, geographia, grammatica, rebus mathematicis naturalibusque parem sibi voluerit comparare gloriam. Qua variarum rerum cognitionis affectatione videmus etiam historiam corruptam atque deformatam; non enim eius aetatis rerum scriptores id agebant, ut resectis rebus alienis ea tantum praeberent

ordine dilucido disposita, quae ad aetatis alicuius indolem ac peculiarem naturam illustrandam et necessaria sunt et sufficiunt, sed ut variae largaeque doctrinae prae se ferrent speciem. Qui Aristotelem et Theophrastum exceperunt rerum scriptores, Dicaearchum, Phaniam Eresium, Hieronymum Rhodium, Satyrum, Hermippum, Clearchum Solensem, alios immensae fere doctrinae gloriam affectasse et e fragmentis diversissimarum rerum farragine mixtis et ex deperditorum librorum titulis cognoscitur. Quo πολυμαθείας studio necessario efficitur digressionum frequentia, qua, si per rerum conditionem locum non habet neque nisi e doctrinae ostentandae studio proficiscitur, nihil potest esse molestius. Duridis quoque historias praecipua digressionum frequentia laborasse et diserto Dionysii Halicarnassei de comp. 30. testimonio et e fragmentorum servatorum conditione discimus. Fragmenta enim ex scriptis eius historicis depromta rebus mythologicis, musicis, grammaticis, etymologicis reperimus referta. Incessit etiam cum historiae amore omnino res novas, mirabiles, inauditas tradendi studium; quod mirum tibi non videbitur, si unam eandemque materiam repereris a sexcentis scriptoribus occupatam, ita ut aliter fieri non potuerit, atque ut alter alterum rerum narrandarum et iucunditate et novitate vellet superare. Ita etiam Duris fabulis, rebus novis inauditisque et quod praecipue eius proprium est, rebus levissimis et pusillis studuit, quod non debebat Hullemannus infitias ire. Quam ad rem probandam fragmenta ex historia de Agathocle depromta lubet percensere. Eorum autem, quae ex Agathoclis historia supersunt, duodecim fragmentorum septem sunt, quae nullo omnino cum re tractanda continentur nexu. Quae ad quales res pertineant, videas. In secundo de rebus Agathoclis libro de tibia exponit Duris a poetis propterea vocata libyca, quod Sirites, qui primus perhibeatur invenisse tibiis canendi artem, fuerit Libycus e Nomadibus; qui idem carmina in Matrem deorum primus cecinerit: in eodem libro uberrime de Lamia Iovi mixta et a Iunone liberorum nece punita; in quarto libro

originem *Εὐρύβατος πονηρός* proverbii ab Ulixis socio repetit; deinde in libro incerti numeri, Penelopam omnibus procis mixtam procreasse Pana, porro Polyphemum propter lactis affluentiam et pascuorum ubertatem ad Aetnam montem Galateae construxisse templum; qua in re immerito carpit Philoxenum poetam, quod amore Galateae incensum fuisse Polyphemum crediderit, ita ut poeticam eius rationem et singulare consilium ne cogitatione quidem assecutus esse videatur; in libro decimo de Amaltheae cornu scribit, porro (si quidem suum locum huic fragmento assignavit Hullemannus) Platonem et composuisse mimos et semper in manu habuisse. Quarum rerum num una est, quam quis in Agathoclis historia, qui Duridis ipsius aetate vixit, exspectet? Quod autem dicit Hullemannus Duridem, quum antiquissimam regionum urbiumque historiam illustraret, nulla ratione potuisse a *μύθοις* abstinere, nullam habet vim propterea, quod non in primo solum sed in sequentibus etiam et ultimis libris illiusmodi res deprehenduntur. Deinde si urbium regionumque historiam exposuisset, non apte profecto rem instituisset, quum rerum conditio hoc potius postularet, ut ea maxime illustraret tempora, quae Agathoclis aetatem proxime praecedunt. Quam si respexeris rerum alienarum digressionumque frequentiam, qui factum sit, ut Agathoclis historia in decem saltem librorum molem excresceret, facile cognoveris; quae enim Hullemannus affert argumenta, quibus Agathoclis historiam quinque tantum libris contineri studet comprobare, nobis non persuadent, et quia *δεκάτῃ* verbum ortum esse e *δ'* admodum a veri similitudine abhorret, et quia alteram partem uberius, brevius succinctiusque alteram, prout digrediendi opportunitas offerebatur, poterat exponere. Ex hac unius de rebus Agathoclis historiae conditione suspicari nobis licet, qualia fuerint cetera Duridis scripta: atque profecto si quis fragmenta percurrerit, in rebus alienis, vanis, fabulosis multum ubique fuisse Duridem, ubique putidae suae doctrinae ostentandae ad vestitum, facetias atque argutias,

coenas alia pertinentis qualescunque arripuisse causas negare non poterit. Iam vero fratrem frater illustret. Hippolochus Macedo pactus erat cum Lynceo, Duridis fratre et Theophrasti discipulo, si cui sumtuosae coenae interfuisset, totum illius apparatum se ei esse expositurum idemque Lynceus vicissim se illi facturum promiserat. Athen. IV. p. 128. a. Idem Lynceus de arte scripsit obsonia emendi ad hominem aliquem in emendo difficilem; quem docet, quibus verbis agere debeat cum homicidis piscatoriis, ut ab iis utiliter et nulla sua molestia quidquid voluerit emere possit. Ath. VI. p. 228. c. Profecto Duris si veram historiae gravitatem et consilium novisset, fratrem in alias duxisset vias, neque facile passus esset, eiusmodi libros unquam divulgari. Vel ex iis quae adhuc de Lynceo protulimus, apparet, num iure Hullemannus secutus sit Panofkam, qui de libro *περὶ Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους* Duridi adscribendo ita iudicat: „liber omnibus, quos scripsit, certe inferior, quum destitueretur facultate critica et ingenio ad has praestantissimas fabulas percipiendas formato. Talis liber si aderat de tragoedia eiusque princibus Duridis fratrem potius quam Duridem auctorem poterat habere." Quae Duridis ingenii ieiunitas et tenuitas in hoc quoque cernitur, quod praeter Peripateticae scholae morem omni philosophiae cultu abstinuit; quod enim *περὶ νόμων* edidit scriptum sicuti omnes fere eiusdem nominis com mentationes ad historiam legum pertinuisse videtur. Quod in historiis conscribendis consilium Duris secutus sit pri marium, e Photii verbis discimus, qui ab eo dicit vituperatos esse Theopompum et Ephorum, quod in eorum scriptis *μίμησις* omnis atque *ἡδονή* desideraretur. Qua ex vituperatione Hullemannus hoc certe effici vidit, orationis ornatum etiam illum, qui requiri in historiarum scriptore solet, eum ipsum minus expetendum censuisse, sed in eo potius eum elaborasse, ut quoties res ferret, cogitata, verba, actiones accurata imitatione exprimeret et delectationi inserviret narrationisque velut hilaritati. Quae scribendi ratio non solum

ad orationem, sed etiam ad argumenti ipsius tractationem spectat. Qui enim hoc tantum agit, ut orationem effingat ad accuratam rerum gestarum similitudinem, ut velut pugnas, regiones, res ad vestitum, ad corporis habitum, alia, pertinentes, ex poetarum more ad vivum describat, eos autem qui ex hac parte minus profecerint, Theopompum et Ephorum ob eam ipsam causam a superioribus longissimo relinqui intervallo dicat, is profecto quem graviorem et digniorem historia sequatur finem ne sensu quidem ac cogitatione videtur esse assecutus. Qua in arte quam summam esse historiae iudicavit quantulum ipse profecerit quantulumque iudicium in ea re diiudicanda habuerit ex eiusdem Photii verbis, longo eum dicentis post eos, quos perstringat, viros intervallo relinqui, sat apparet. Huc eodem spectat, quod ἐπιτραγῳδεῖν eum Plutarchus dicit, quasi tragico more scribere, non ut Baehrius falso vertit oratione uti magnifica dictionibusque figuratis. Qua in re Plutarchus Hullemanno etiam videtur magis ad verba respexisse, quam ad eius in rebus tradendis fidem; quid vero voluerit Plutarchus, cum ἐπιτραγῳδεῖν diceret Duridem, exemplo eo quod est in Pericl. XXXVIII. comperias, ubi ex arbitrio a vero aberrantem res eum addidisse dicit, quae et omni probabilitate careant et gravissimorum scriptorum fide destituantur. Alia autem τοῦ ἐπιτραγῳδεῖν exempla infra sumus allaturi. Quod Hullemannus dicit posse etiam fragmenta Duridis afferri alia, quae veracem prodant scriptorem, non ita se habet; eiusmodi enim potius fragmenta possunt afferri, quibus eum interdum cum aliis et bonis quidem scriptoribus consentire evincatur. Iam si vera esset, quae subsequitur Hullemanni sententia, qua laudari plerumque credit testimonia aliorum scriptorum tum, quum res agatur dubia, atque tum tantum apponi vulgo orationem eorum, qui a reliquis discrepent plurimum, de fide omnium historicorum actum esset eorum, quorum fragmenta tantum supersunt. Num quia Athenaeo, pergit Hullemannus, Scholiastis, Grammaticis graviora mittere placuit, lepida vero ista congerere, Duris putandus est res

frivolas et pusillas adeo esse venatus? Sed nonne etiam Athenaeus, Scholiastae, Grammatici ex aliis scriptoribus excerpserunt res graviores? Qui tandem factum est, ut quaecunque ex Duride petierunt, putidam quandam doctrinam redoleant? Nonne Athenaeus, Ssholiastae, Grammatici ex Thucydide, Xenophonte, Aristotele, Aristoxeno, Polybio, aliis, multa repetierunt et graviora quidem? Imo quod Athenaeus, Scholiastae, Grammatici Duridem maxime, a ceteris scriptoribus rarius laudatum, in deliciis habuerunt, id ipsum nobis argumento esse debet, illos viros, rerum pusillarum captatores, in Duridis scriptis copiam deprehendisse eorum, quibus maxime delectabantur.

Postquam iam ea percensuimus, quae ad Duridis fidem examinandam aliquam habent vim, transeundum est ad primaria veterum scriptorum de illa iudicia. Quantumvis autem ad eam minuendam adhuc prolatum sit, maxime Plutarchi auctoritate labefactatur. Cuius iudicium priusquam ponderabo eas, quae illi Duridis reprehendendi opportunitatem dederunt, narrationes e Duride assumtas, quales sint, illustrabo. In vita Periclis XXVIII. hanc affert Plutarchus Duridis narrationem: *ἐνάτῳ δὲ μηνί, τῶν Σαμίων παραστάντων ὁ Περικλῆς τὰ τείχη καθεῖλε καὶ τὰς ναῦς παρέλαβε καὶ χρήμασι πολλοῖς ἐζημίωσεν· ὧν τὰ μὲν εὐθὺς ἤνεγκαν οἱ Σάμιοι, τὰ δ' ἐν χρόνῳ ῥητῷ ταξάμενοι κατοίσειν, ὁμήρους ἔδωκαν. Δοῦρις δ' ὁ Σάμιος τούτοις ἐπιτραγῳδεῖ, πολλὴν ὠμότητα τῶν Ἀθηναίων καὶ τοῦ Περικλέους κατηγορῶν, ἣν οὔτε Θουκιδίδης ἱστόρηκεν οὔτ' Ἔφορος, οὔτ' Ἀριστοτέλης· ἀλλ' οὐδ' ἀληθεύειν ἔοικεν, ὡς ἄρα τοὺς τριηράρχους καὶ τοὺς ἐπιβάτας τῶν Σαμίων εἰς τὴν Μιλησίων ἀγορὰν ἀγαγὼν καὶ σανίσι προσδήσας ἐφ' ἡμέρας δέκα, κακῶς ἤδη διακειμένους προσέταξεν ἀνελεῖν, ξύλοις τὰς κεφαλὰς συγκόψαντας, εἶτα προβαλεῖν ἀκήδευτα τὰ σώματα. Δοῦρις μὲν οὖν οὐδ' ὅπου μηδὲν αὐτῷ πρόσεστιν ἴδιον πάθος, εἰωθὼς κρατεῖν τὴν διήγησιν ἐπὶ τῆς ἀληθείας, μᾶλλον ἔοικεν ἐνταῦθα δεινῶσαι τὰς τῆς πατρίδος συμφορὰς ἐπὶ διαβολῇ τῶν Ἀθηναίων.* Quae de Periclis crudelitate narrat Duris

commenta habentur a Plutarcho, cum eius crudelitatis apud Thucydidem, Ephorum, Aristotelem ne verbo quidem mentio fiat, quumque in universum Duris in patriae historia enarranda suis soleat studiis inservire. Quod Plutarchi iudicium Hullemannus ita studet infirmare, ut quod gravissimorum scriptorum testimoniis ea res non confirmetur, nullius esse momenti dicat. Duris enim, ait, qui Samius esset Samique vitam degeret, qui Σαμίων scriberet ὥρους, nonne comperta habere potuit, nonne accuratius pertractare, quae alii ignoraverant, cognoverant fortasse alii, sed certis de causis consulto omiserant? Quid? nulliusne est momenti, quod Thucydides, Ephorus, Aristoteles ne verbo quidem tetigerunt tam horrendum illud facinus, quo dignius memoratu vix reperiri ullum aliud possit? Horum virorum quae esset fides, si consulto, uti credit Hullemannus, talia omisissent. Est enim historici, Cicerone auctore, non solum, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis, sed etiam ne quid veri dicere non audeat. Qui tandem quaeso fieri potuit, ut tam atrocis facinoris in tempus illud, quod ipsum antecedit bellum Peloponnesiacum, incidentis, ne tantula quidem ad Plutarchi aetatem perveniret fama? At Duris, qui Samius esset, ceteris magis potuit edoctus esse de iis, quae bello Samio sunt gesta. Quid? Thucydides et Aristoteles, quorum alter et belli ipsius aequalis fuit et incredibilem siquis alius ad historias conscribendas adhibuit industriam ac severitatem, alter non multo post vixit, nonne potuerunt eas res Duride melius habere compertas, qui integri saeculi spatio ab illo bello vixit remotus? An forte illius facinoris fama Athenas non pervenit? Itaque quibus Durim Hullemannus studet purgare maculis, iisdem Thucydidis, Ephori, Aristotelis, auctorum probatissimorum lumina aspergere audet. Deinde si respicimus facinus ipsum, tam horrendum id quidem est, ut crudelius vix quidquam possit fingi. Suo autem iure miratur Car. Keilius (Neue Jahrb. f. Phil. u. Päd. 1839. vol. XXVII. p. 141) qui factum sit, ut per decem dies crucibus affixi Samii non multo ante

confecti sint doloribus, quam Periclis iussu capitis supplicio afficerentur. Quod quum omnem superet fidem, veram Plutarchi scripturam esse censet *ἡμέρας δ'* sive *τέτταρας*, postea in *δέκα* depravatam. Cui coniecturae miro arbitrio nisae (Plutarchus enim ipse se incredibilia ex Duride proferre significat) Hullemannus calculum adiicit eiusque ut debilitati subveniat exemplum e coniectura non magis probabili affert profectum. Itaque et in principio belli Samii et in fine enarrando Duris contumelias calumniasque in Periclem contulit. Nolui ex ingenio Periclis argumenta petere, quum eiusmodi argumenta nec id quidem immerito hodie male audiant tamque ambigua habeantur, quibus se nemo patiatur refutari.

Deinde in describendo Alcibiadis exsulis reditu reprehendit Duridem et cum rerum conditione et cum fide gravissimorum auctorum pugnantia tradentem. Alcib. XXXII. *ἃ δὲ Δοῦρις ὁ Σάμιος, Ἀλκιβιάδου φάσκων ἀπόγονος εἶναι, προστίθησι τούτοις, αὐλεῖν μὲν εἰρεσίαν τοῖς ἐλαύνουσι Χρυσόγονον τὸν Πυθιονίκην, κελεύειν δὲ Καλλιπίδην, τὸν τῶν τραγῳδιῶν ὑποκριτὴν, στατοὺς καὶ ξυστίδας καὶ τὸν ἄλλον ἐναγώνιον ἀμπεχομένους κόσμον, ἱστίῳ δ' ἁλουργῷ τὴν ναυαρχίδα προσφέρεσθαι τοῖς λιμέσιν, ὥσπερ ἐκ μέθης ἐπικωμάζοντος, οὔτε Θεόπομπος οὔτ' Ἔφορος οὔτε Ξενοφῶν γέγραφεν· οὔτ' εἰκὸς ἦν οὕτως ἐντρυφῆσαι τοῖς Ἀθηναίοις, μετὰ φυγὴν καὶ συμφορὰς τοσαύτας κατερχόμενον.*

Quae ad ceterorum scriptorum narrationem de Chrysogono modulatore et Callipide histrione Duris addit, minime videntur Hullemanno commenta, cum et rerum conditioni praeclare conveniant neque ceterorum scriptorum silentium hac in re magni sit faciendum. Eiusmodi pompa, ait, in commessabundum potius, quam in exsulem cadat, post tot discrimina rerum tandem in patriam reducem: hic attendendi Alcibiadis mores, attendendum in primis quo tum utebatur consilium. Quid enim? pro me respondeat ipse Plutarchus: *ἰδεῖν τε ποθῶν ἤδη τὰ οἴκοι καὶ ἔτι μᾶλλον ὀφθῆναι βουλόμενος τοῖς πολίταις, νενικηκὼς τοὺς πολεμίους τοσαυτάκις ἀνήχθη.*

Itaque victoris pompam, triumphum agere voluit; cui quo maior et splendor conciliaretur et magnificentia, satis impendisse studii atque operae putandus est. Haec Hullemannus. Iam vero sperasse Alcibiadem fore ut recuperata Atheniensium gratia ageret triumphum, verum est; sed dubium eum fuisse de Atheniensium gratia et benevolentia, dum navi advehebatur, disertum docet Xenophontis testimonium, quod in contrariam omnino partem Hullemannus perperam interpretatus est. Sic enim Xenophon scribit Hell. 1, 12; *ἐπεὶ δὲ ἑώρα ἑαυτῷ εὔνουν οὖσαν (τὴν πόλιν) καὶ στρατηγὸν αὐτὸν ᾑρημένους καὶ ἰδίᾳ μεταπεμπομένους τοὺς ἐπιτηδείους, κατέπλευσεν ἐς τὸν Πειραιᾶ ἡμέρᾳ ᾗ πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις.* Quibus Xenophontis verbis et magis etiam iis quae praecedunt *ἐκεῖθε δ' ἀνήχθη εὐθὺ Γυθείου ἐπὶ κατασκοπῇ τῶν τριήρεων, ἃς ἐπυνθάνετο Λακεδαιμονίους αὐτόθι παρασκευάζειν τριάκοντα, καὶ τοῦ οἴκαδε κατάπλου, ὅπως ἡ πόλις πρὸς αὐτὸν ἔχοι,* nonne certo certius efficitur, incertum quo in ipsum Athenienses essent animo eum dubitasse appellere? Ac quae subsequuntur apud Plutarchum: *ἀλλ' ἐκεῖνος καὶ δεδιὼς κατήγετο καὶ καταχθεὶς οὐ πρότερον ἀπέβη τῆς τριήρους πρὶν κ. τ. λ.* Ephori et Theopompi auctoritate videntur niti. Qua iam in re omni studio vacua cur Xenophonti certe diffidamus? Atqui utriusque non potest et Duridis et Xenophontis narratio vera esse, ita ut si alteram credas, neges alteram. Nam qui in eo erat, ut quos non multo ante vehementer a se abalienatos expertus erat, Atheniensium animos sibi devinceret, idem non poterat navem Athenas appellens indulgere tam ingenti luxuriae. Atque profecto, recte iudicante Plutarcho, ab Alcibiadis, temporibus callidissime inservientis, ingenio abhorret, quae tum erat rerum conditio, per tantam lasciviam illudere Atheniensibus. Quod eadem quae narrat Duris apud Athenaeum etiam reperiuntur, non potest nos morari, quia, quod recte monuit Schweighaeuserus, hausisse ex Duride sua Athenaeum et propterea verisimile est, quod Plutarchus, [cuius immensam fere doctrinam non facile ullus rerum scriptor fu-

gere potuit, alium, apud quem eadem illa iterentur dicit esse nullum] et eo probabilius fit, quod ipsum Duridis nomen paulo inferius affertur.

Eiusdem Duridis de Eumenis genere testimonium Plutarchus affert Eum. I., quod illum aurigae filium fert in puerorum pancratiis victorem a Philippo in gratiam esse exceptum. Iis vero sine ulla vituperationis significatione dicit Plutarchus se malle credere, qui ob hospitium paternum Eumenem ad summos honores referant provectum. Duarum narrationum utra sit vera, nemo unquam facile diremerit, neque diremit Hullemannus. Hoc vero probe animadvertatur et in hac re et in vita Alexandri XV. et in vita Demosthenis XIX. Plutarchum ab omni Duridis criminatione abesse. Iam vero quum de iis, quae de reditu Alcibiadis et de Periclis crudelitate Duris tradit, in utramque partem disputandi via aliqua patere videatur, locisque proximis Plutarchus ea e Duride adsciverit, quibus eum commenti convincere non liceat, eumque denique omisso nomine semel bisve secutus esse videatur, totum Plutarchi iudicium vanum prorsus et inane esse Hullemannus existimat. Quod iudicium, me hercle, non exspectaveris a viro in ceteris tam strenuo. Quasi scilicet uno duobusve locis fretus Plutarchus temere potuisset totam Duridis fidem labefactare et subvertere: *Δοῦρις εἰωθὼς οὐ κρατεῖν τὴν διήγησιν ἐπὶ τῆς ἀληθείας.* Quid tandem ex eo, quod Duridem secutus est Plutarchus in paucis quibusdam rebus, consequitur? nihil profecto aliud, quam eum, quamquam nonnulla sibi viderentur digna quae laudaret vel in usum converteret suum, tamen tot tantaque commenta in Duride deprehendisse, ut eum diceret ubique fidei limites migrare. Sed vero alia, ait Hullemannus p. 55, in censum veniunt, quae in eadem Alexandri vita de Atheniensibus demagogis exstant ab Alexandro Magno post eversas Thebas flagitatis. Eos Idomeneus et Duris decem fuisse numero tradiderunt, octo *οἱ πλεῖστοι καὶ δοκιμώτατοι τῶν συγγραφέων.* Hic ergo ex bonorum numero Duris eximitur, num gravi de causa, mox pa-

tebit. Quae de numero, qui fuerit, uberius Hullemannus disputat, nolo repetere, quum nihil ad rem faciant. Primum quaerere quis potuerit, num eximat Plutarchus his verbis Duridem e spectatorum scriptorum numero: *δέκα ὡς Ἰδομενεὺς καὶ Δοῦρις εἰρήκασιν· ὀκτὼ δ' ὡς οἱ πλεῖστοι καὶ δοκιμώτατοι τῶν συγγραφέων.* Sed licet eum eximat, num propterea eum eximit, quod in numero demagogorum constituendo a ceteris discrepat? Tale quid qui tandem potuerit Hullemanno in mentem venire, non assequor. Eam enim ob causam facile apparet e scriptorum spectatorum numero Duridem a Plutarcho eximi, quod nusquam satis severe veritatis vestigia sequatur. „Atqui, pergit Hullemannus p. 57 ima fere, quis exspectaverit? cui scriptori inter *τοὺς δοκιμωτάτους* locus denegatur, idem ille cum Ptolemaeo aliisque praestantissimis historicis componitur, qui omnes quod de Alexandri cum Thalestri consuetudine negaverint, Plutarcho dicuntur iure negasse“. Integra autem transscribam Plutarchi verba, quum optimo electo, eorum Duridis sociorum, qui minoris sunt auctoritatis, nullam Hullemannus habuerit rationem. Plut. Alex. XLVI: *ἐνταῦθα δὲ πρὸς αὐτὸν ἀφικέσθαι τὴν Ἀμαζόνα οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ὧν καὶ Κλείταρχός ἐστι καὶ Πολύκριτος καὶ Ὀνησίκριτος καὶ Ἀντιγένης καὶ Ἴστρος· Ἀριστόβουλος δὲ καὶ Χάρης ὁ εἰσαγγελεὺς καὶ Πτολεμαῖος καὶ Ἀντικλείδης καὶ Φίλων ὁ Θηβαῖος καὶ Φίλιππος ὁ Χαλκιδεὺς καὶ Δοῦρις ὁ Σάμιος πλάσμα φασὶ γεγονέναι τοῦτο.* Iam vero qui a Plutarcho componuntur rerum scriptores, num eo pacto componuntur ut omnes quasi communis praestantiae vinculo sint coniuncti? Qua Hullemanni ratione nonne efficeretur, ut, si quis diceret, tradi idem aliquid a Thucydide, Timaeo, Xenophonte, Tzetza, Suida, aliis, omnes hos scriptores in eodem essent gravitatis et fidei gradu constituti? Novo igitur exemplo videas comprobari, quousque vir subacti iudicii semel cupiditate abreptus possit progredi. Si enim ea omnia, quae Plutarcho Hullemannus exprobrat, vere in eum caderent, hebetis profecto ingenii homo habendus esset Plutarchus. Neque in

sua ipsius disputatione Hullemannum magnam posuisse fiduciam pag. 52. discas. Postquam enim alta voce clamavit in iis quae praecedunt, non ex aliorum libris Duridem maluisse sua conflare, quam totam ipsum antiquitatem perscrutari, patuisse ei scriptorum libros optimorum, ad vetusta eum et abscondita monumenta libere accessisse, familiarum percepisse traditiones, omni denique cognoscendi et accurate scribendi copia esse usum unum in paucis uberrima, alia, subito in hanc inexspectatam decidit confessionem: fateor, inquit, res agitur difficillima et paene inextricabilis, sed temere damnare non decet aequum iudicem. Neque priorem eius, quae ei de Duride videtur pronuntianda, sententiae partem: „quandoquidem dormitaverit licet" facile exspectaveris, postquam in iis, quae praecedunt Duridem omnibus maculis purgavit. Quod Hullemannus ad fidem Duridi vindicandam argumentum petit ex eo, quod ad optimos ei libros aditus patuerit, quam habeat vim, non video, siquidem ad eam rem dirimendam non hoc quaeritur, quae fuerit eorum, qui praecesserunt, scriptorum fides, sed illud, num re vera illos et eorum quidem optimos quosque secutus sit quaque eos ratione sit secutus; neque vero ullo pacto id ex eo colligitur, quod semel bisve eadem refert, quae superioris aetatis iique optimi referunt scriptores.

Iam vero quid nos de Plutarchi iudicio iudicemus? Si reputamus, Plutarchum non posse simultate captum putari propterea quod trium saeculorum spatio vixit a Duride remotus, eumque e diuturna vitae humanae observatione facultatem sibi comparasse penitius percipiendae historiae minime mediocrem et historicorum libros assidua lectione contrivisse esseque virum veritatis studiosum neque in ulla historiae parte maiore cum diligentia versatum quam in qua versatus est ipse Duris, eorum denique ratione habita, quae ex ipsis fragmentis eruta infringunt debilitantque Duridis auctoritatem, non possumus profecto facere, quin omni ex parte valere iubeamus illius iudicium. Itaque eo iam pervenit disputatio nostra, ut imaginem possimus Duridis primis

quidem lineamentis describere. Duris ut omnino destitutus fuit ingenii vi ea, qua res sensibus perceptae altius penetrantur perspiciunturque penitius, ita etiam ipsius historiae tantum abfuit ut exploraret interiorem naturam et indolem, ut speciem tantum quandam vitae humanae levissime conceptam et teneret ipse et scribendo adumbraret. Nimirum quod optimo cuique in conscribendis historiis propositum fuit, Thucydidi, Polybio, Sallustio, Tacito, aliis, ut qui esset rerum omnium ordo certus ac stabilis, inquirerent, legesque indagarent, ad quas res humanae diriguntur ac divinae, ita quidem ut ipsi se singuli et homines et populi quales essent cognoscerent: hoc a Duride adeo fuit alienum, ut vix mihi de eo ac ne vix quidem cogitasse videatur. Sensit autem ita fere ipse de historia, ut horreum id esse quoddam putaret refertum rebus iucundis ac mirificis, quae insigni cum animi delectatione discerentur; itaque libenter versatus est in describendis hominum moribus iis, qui haberent quo oblectarent, nec minus avide fabellas, facete dicta arripuit, placuitque sibi in adumbrandis personarum, vestium, conviviorum, pomparum similiumque rerum imaginibus; qua in re id potissimum tanquam historia dignissimum et ne hoc quidem magno cum successu appetebat, ut res quas narraret coloribus imbutas illustrissimis legentium oculis tanquam ipsas subiiceret (μίμησις, ἡδονή). Quo factum est, ut non acquiescendum putaret in rerum fide ac ieiunitate sed quo suaviores et spelndidiores evaderent, exaggerandas illas atque augendas putaret; id quod Plutarchus ἐπιτραγῳδεῖν dicit. Quod ἐπιτραγρωδεῖν verbum non ita accipiendum est, ut exornandis solum condecorandisque rebus Duris operam dederit, sed ut exemplis ostendimus, etiam fingendis ac comminiscendis, parum curans, utrum pugnarent aut cum incorrupta aliorum scriptorum fide aut cum rerum natura. Cui cogitandi levitati admixtum habuit ille aliud quoddam vitium, quo in rebus ad se pertinentibus vehementer indulgebat cupiditati. Arbitratu enim et temere, alios,

a quibus animus ipsius erat abalienatus, ut carperet, eum res novas inauditasque finxisse, quum ex ipsis fragmentis, tum diserto Plutarchi testimonio sat certo constat, uti eum vidimus Athenienses Samiis invisos, itemque Socraticos et Isocraticos, summa cum acerbitate esse persecutum. Accedit quod, qua tota fere illa aetas laborabat, eadem ipse fuit infectus, immensae quidem doctrinae affectatione. Itaque libri eius, minime iidem eleganter ac nitide scripti, propter nimiam rerum grammaticarum, etymologicarum, musicarum, poeticarum immixtam multitudinem ei, qui fructum capere ex historia vellet parum et voluptatis et utilitatis praebuerunt.

Sed ne ad ima subsellia Durim relegemus, impedit Ciceronis auctoritas, hominem dicentis illum in historia diligentem. Integra autem verba Ciceronis epist. Attic. VI. 1. transcribam: „O ἀνιστορησίαν turpem! Nam illud de Flavio et fastis, si secus est, commune erratum est; et tu belle ἠπορήσας et nos publicam prope opinionem secuti sumus, ut multa apud Graecos. Quis enim non dixit, Εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας ab Alcibiade navigante in Siciliam deiectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes. Adfert enim, quas ille post id tempus fabulas docuerit. Num iccirco Duris Samius, homo in historia diligens, quod cum multis erravit, irridetur?“ Cuius quidem disputationis haec via ac ratio est: ἀνιστορησία turpis est, ab erroribus nemo liber; ita Duris etiam erravit, quem nemo ἀνιστορησίας accusaverit, qui multam in historia collocavit operam, qui vir est doctissimus. Sane multum in historia Duris versatus est, multa sane historiis implevit volumina. Sed ea re quo pacto fides Duridis erigitur? Qui enim vir imprimis doctus dicitur a Cicerone, Heraclides Ponticus, idem ab eodem puerilibus fabulis libros suos refersisse dicitur. Atque Ciceronis quae est in hac re auctoritas? Quum enim utpote litterarum historiae amantissimus eorum quos legerat scriptorum laudandorum, quin fuse, quales fuerint, describendorum qualemcumque arripere soleat opportunitatem, Duridis quem alibi nusquam attingat,

libros parum legisse ac cognovisse putandus est; deinde probe animadvertendum, id quod cursim ipse scriberet, Ciceronem non publici iuris fore, sed lectum iri ab uno Attico amico putasse. Multo igitur minor est Ciceronis auctoritas quam Plutarchi, qui totum se historiae studiis dederit et quasi dedita opera de Duride faciat iudicium. Quid? quod aliud quiddam e Ciceronis verbis erui posse videtur? Quod enim dicit Cicero, „iccirco Duris irrideatur", potestne ita accipi, ut qui propter nimiam et errorum et commentorum multitudinem in antiquitate irrisui fuerit, eum Cicero contenderit propter amorem, quo historiam esset amplexus, non eum esse, quem merito irriderent? Utut est, mirum sane est irrideatur verbum.

Absoluta iam de fide Duridis quaestione, locos quosdam ad vitam eius maxime pertinentes, qui non satis recte vel plene mihi videantur ab Hullemanno esse enucleati, accuratius putavi pertractandos.

A quibus Pausaniae verbis VI. 13. maxime in Duridis vita exploranda est proficiscendum, ea ab antiquioribus interpretibus ita sunt explicata, ut Duris noster non iam sit intelligendus, quin a recentissimo Pausaniae editore ita sunt mutata, ut nomen fere ipsum exciderit. Quod illorum Pausaniae interpretum ac Krausii (Olympia oder Darstellung der grossen olympischen Spiele und der damit verbundenen Festlichkeiten p. 276) rationem Hullemannus non refutavit, inconsulto fecit; novissimam vero Pausaniae editionem ab Henr. Chr. Schubartio et Chr. Walzio curatam non novisse videtur. *Χιόνιδος δὲ οὐ πόῤῥω τῆς ἐν Ὀλυμπίᾳ στήλης ἕστηκεν ὁ Δοῦρις Σάμιος, κρατήσας πύγμῃ παῖδας· τέχνη δὲ ἡ εἰκών ἐστι μὲν Ἱππίου, τὸ δὲ ἐπίγραμμα δηλοῖ τὸ ἐπ' αὐτῷ νικῆσαι Χίονιν ἡνίκα ὁ Σαμίων δῆμος ἔφευγεν ἐκ τῆς νήσου· τὸν δὲ καιρὸν, καθ' ὃν ἐπὶ τὰ οἰκεῖα τὸν δῆμον· · · παρὰ δὲ τὸν τύραννον Δίαλλος ὁ Πόλλιδος ἀνάκειται κ. τ. λ.* Quod ad codicum scripturas attinet, post *στήλης* inserta prae-

bentur *καὶ ὅς* verba; *καὶ ὅσας* habet cod. Lugd. a, *καὶ ὅς* expunctum cod. Riccard., aliis codicibus plane omittentibus: conf. ed. Schubart. Bekkero autem in *καὶ ὅς* pugilis nomen latere suspicanti Schubartius adsentitur idque *Σκαῖος* fuisse vix ei videtur dubium eundemque Scaeum significari censet ac pugilem illum ab Herodoto V. 60 commemoratum, non Hippocoontis quidem filium sed eum, a quo tripus ille dedicatus fuerit. Qui apud Pausaniam intelligendus est pugil eo tempore vixit, quo Samii et ex insula eiecti et in pristinas sedes restituti sunt. Atqui cum ante Olympiadem quadragesimam primam teste Pausania V. 8. 3. (Kraus. p. 161.) nulli puerorum pugilatus instituti sint, quando et quoties ex eo inde tempore Samii ex insula fugati et in pristinas sedes restituti sint, circumspiciendum est. Quae autem fuerit ab illo inde tempore Samiorum conditio cum satis plene liceat ex antiquis monumentis discere, duas tantum fuisse fugas cum fiducia aliqua affirmaveris, alteram Sylosonte regnante, alteram circa annum quadringentesimum quadragesimum nonum. Quarum ea, quae Sylosonte Sami regnante fuit, non videtur intellecta a Pausania, cum *ἐρημία ἀνδρῶν* potius bello cum Persis gesto effecta quam fuga sit dicenda et ita quidem, ut Samii post in pristinas sedes esse restituti non possint dici: cf. Panofkam p. 45. De altera autem fuga infra exponetur. Iam vero cur Schubartio vix dubium sit in *καὶ ὅς* ipsum nomen pugilis latere, non video. Quidni enim aliud quiddam latere opinemur? Nonne pugilis nomen *Δοῦρις*, quod ab optimis codicibus praebetur et nominativo quidem casu adest? Itaque Bekkeri coniectura non iam cogimur ei, de quo agitur, Duridi apud Pausaniam locum denegare. Etenim illius coniecturam coniectura licet repellere; non enim longe nobis videmur a codicum vestigiis recedere, si pro *σκαῖος*, quod Bekkerus coniecit scribendum, *σκαιῇ*, scribi iubemus, quum nihil sit Pausaniae usitatius, quam breviter locorum rationem significare, neque a probalitate Bekkero longius recedis, si pro *καιος* scribis *παις*, quum *π* et *κ* saepissime sint

inter se commutata et confusa. Quod autem post νικῆσαι in plurimis codicibus legitur, χίονιν verbum, non propius accedit ad similitudinem σκαῖον verbi quam velut αὐτὸν, δοῦριν, alia. Alii denique et Kuhnius imprimis lacunam a δῆμον verbo incipientem ita explent ut nostrum quidem Duridem non iam liceat intelligere. Monet enim Kuhnius ex ipso Pausania posse ex parte suppleri quae desint; nam in Achaicis 2. et 4. commemorari quando et a quo Samii patria pulsi et restituti sint; quare post δῆμον credidit subiici posse haec: κατελθεῖν συνέβη, δηλώσω ἐν τῷ ἐς Ἀχαιοὺς λόγῳ. Ibi autem legitur, Samiis etiam Samum ab Androclo ademtam esse; post autem Samios pristinas recepisse sedes, quod idem c. 4 iteratur. Quae Samiorum fuga si eadem est, ac de qua nostro loco sermo est, rerum scriptor sane pugil ille non fuit; sed miro errore vir doctus se abripi passus est. Quum enim ad antiquissima vel fabulosa omnino tempora Androclus ille sit referendus ita ut recte monente Panofka p. 7 narrationi illi vix ulla sit habenda fides, illa Samiorum fuga, quippe quae ea, quibus primi puerorum pugilatus instituti sunt, tempora longe praecedat, ab illo Pausaniae loco alienissima est. Quam supra significavimus fugam alteram, ea est, quae in annum quadringentesimum quadragesimum nonum incidit, quo Atheniensium cleruchia in Samum missa est. Quum vero Duridis eius, qui rerum scriptor et Sami tyrannus erat, pueritia in hoc ipsum tempus incidat, deinde etiam τύραννον verbum, admodum probabiliter ad Δοῦριν referendum, in omnibus codicibus legatur, non possumus facere quin qui ibi laudatur Duris, Samius, tyrannus, eundem esse atque historiarum scriptorem existimemus. Quo accedit, quod librum περὶ ἀγώνων a Duride nostro scriptum esse testantur Photius et Tzetzes; quod praeclare in rem nostram facit, quum eius, qua ipse excellebat artis aut historiam aut praecepta libro aliquo eum exposuisse admodum probabile sit.

Athenaeus VIII. p. 338: Duridis, *patriae tyranni*, Lynceum nuncupat fratrem, quod iisdem fere verbis repetit Sui-

das, ita ut eum ex Athenaeo sua hausisse non immerito suspicatus fueris: conf. etiam Eudoc. p. 96. 288. Panofka vero, num ullum Duridis imperium obtinuerit dubitare se dicit his verbis: nam mihi quidem silentio graviorum de Duride auctorum hanc ipsam rem fieri satis suspectam haud reticebo. Quam Panofkae argumentationem, quo spectet quamque habeat vim, Hullemannus perspexisse non videtur; etenim de Samo quidem, quae per illud tempus eius fuerit conditio; tacent rerum scriptores, sed non item de Duride. Quae difficultas ita removeri mihi videtur, ut omnes, qui Duridem memorarunt scriptores id agentes, ut eum in re aliqua enarranda testem adhiberent omni tyrannidis memoria potuisse supersedere dicamus. Quod ad tempus attinet, quo Duridis tyrannis obtinuerit, circa pugnae ad Salaminem, Cypri urbem commissae tempus eam ponendam esse Panofka putat; cui opinioni equidem adstipulari non possum propterea quod litterae, ad veterem inter Samios et Prienenses litem componendam a Lysimacho scriptae, non ad tyrannum sed ad Senatum populumque Samium datae sunt neque in illis litteris ulla fit tyrannidis ullius mentio; conf. Chandler Marmor. Oxon. II. 25. et Inscript. antiqq. p. I. p. 15. Itaque Duridis imperium aut pugnam Ipsensem vel id potius, quo litterae scriptae sunt, tempus non praecessit aut quod veri simile non est, tunc iam regno Duris erat eiectus.

De rebus Graecorum opus condidisse Duridem ex Diodoro Siculo XV. 60: Δοῦρις δ' ὁ Σάμιος ὁ ἱστοριογράφος τῆς τῶν Ἑλληνικῶν ἱστορίας ἐντεῦθεν ἐποιήσατο τὴν ἀρχὴν (h. e. ab obitu Amyntae, Agesipolidis et Iasonis) videtur existimandum; eundem historiam Macedoniae multis libris persecutum esse, saepius antiqui scriptores testantur. Haec autem scripta unum opus confecisse Vossius et efficacioribus additis argumentis docuit Schmidtius (de fontibb. vet. auctor. in enarrand. expedd. Gallorum p. 17), qui Hullemanno assentiente, Ἑλληνικά et Μακηδονικά duos diversos unius eiusdemque operis titulos esse existimat. Sed num vere opus,

quod *μακεδονικά* et *ἱστορίαι* inscriptum erat, etiam *ἑλληνικά* titulum habuerit, equidem dubito. Quae me, ut ita censeam, adducunt argumenta haec sunt: Athenaeus in titulis afferendis fere nimius, quamquam undecies *μακεδονικά* et *ἱστορίας* memorat, *ἑλληνικῶν* numquam facit mentionem, neque apud eos, qui idem *μακεδονικῶν* opus laudant, Scholiastas Apollonii Rhodii, Euripidis, Aristophanis, Platonis (conf. etiam Bekkeri anecd. I. p. 451. 31; II. p. 782, 22) ullum eius duplicis tituli vestigium reperitur; quod qui fieri potuerit, si duplicem titulum opus habuit, vix intelligitur. At quid de Diodoro Siculo, ab obitu Amyntae, Agesipolidis et Iasonis narrationis de rebus Graecorum gestis Duridem exordium sumsisse testante iudicemus? Is quo Diodorus Duridem obiter dicit *ἑλληνικά* scripsisse, liber quum in exponendis Graecorum maxime rebus versetur, innuere Diodorus mihi videtur in iis, quae illorum ducum mortem excipiunt, Graecorum rebus enarrandis, ea quoque se suum iu usum convertisse, quae Duris in *Μακεδονικά* necessario immiscuerit *Ἑλληνικά*. Atque profecto facile potuit fieri, ut rerum scriptores res omnes a Philippi tempore usque ad pugnam Corypediensem gestas, quum in iis praecipue Macedonum fuissent partes, Macedonicarum nomine significarent. Quo accedit, ut Duridi si noluisset totum historiarum opus *Μακεδονικά* nomine complecti, non *Ἑλληνικά* titulus solus, sed cum Alexandri in Asiam expeditionem et quae eo mortuo per Graeciam, Macedoniam, Thraciam, Asiam, Aegyptum flagrabant, bella describeret, etiam *Συριακά, Αἰγυπτιακά, Θρακικά*, tituli fuissent addendi.

VITA.

Godofredus Eckertz natus sum Gladbaci optimis parentibus, quorum matrem iam dudum mortuam esse doleo anno huius saeculi duodevigesimo. Postquam in patriae superioris ordinis schola Schuengelio et imprimis Conrado Noevero, viro doctissimo et humanissimo, ducibus Latinae et Graecae linguae elementis fui imbutus, Gymnasium Dusseldorpiense, quod tunc Wuellneri, viri sanctissimi et doctissimi, auspiciis florebat, adii, ibique per quinque annorum spatium Wuellneri, Hildebrandii, Cromei, Grashofii, Honigmanni, Capellmanni, Huelstettii scholas magno cum fructu frequentavi. Deinde maturitatis testimonio munitus, ut philologicis et theologicis studiis me dederem, Bonnam, illustrissimam litterarum sedem, petii. Postquam autem Ritschelio imprimis et Welckero ducibus arctiorem cum antiquis litteris contraxi familiaritatem, ita iis magis magisque delectatus sum, ut mox in philologiae fines totus deducerer. A Welckero et Ritschelio in seminarium philologicum receptus sum; et iis quidem, quae ibi institui solent, exercitationibus, si qua in me est, studiorum philologicorum et artis criticae maxime recte exercendae omnem fere facultatem debeo. Deinde summo cum fructu disserentes audivi: Welckerum, Ritschelium, Aug. Guilelm. Schlegelium, Ritterum, Loebellium, Brandisium, Calkerum, Fichtium, Huellmannum, Urlichsium, Duentzerum, Heimsoethium, de rebus autem theologicis Achterfeldtium, Scholzium, Hilgersium, Vogelsangium.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratiam habeo maximam et per totam vitam habebo.

THESES CONTROVERSAE.

1. *Nullum verus poeta carminibus suis praeter ipsam poesim sequitur finem.*
2. *Theogoniae Hesiodiae primi octo versus e diversis prooemiis conflati sunt.*
3. *Artem criticam in ullo scriptore munere suo unquam defungi negandum est.*
4. *Non evicit Buttmannus in Sophoclis Oed. reg. versu 2. θοάζειν verbum sedendi habere significationem.*
5. *Linguarum antiquarum haec est vis, ut viam ad doctrinam philologicam aperiant, nec vero eam ipsae constituant.*
6. *In Platonis verbis Criton. c. I. ἀλλὰ δοκεῖ μέν μοι ἥξειν τήμερον neque Buttmannus neque Stallbaumius μὲν particulae rationem recte exposuerunt.*
7. *Quae eodem loco ab optimis codicibus praebetur δοκεῖν scriptura facilem habet explicatum.*
8. *Horatii Sat. I, 1, v. 4. vulgata scriptura annis non est removenda.*